



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 28. Italia ab exilibus, & latronibus penitus per Papam expurgatta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

**Sæcul. XVI.** scripta ingenti sigillo aureo ex encausto  
A.C. 1585. opere munita erant. Tot honoribus,  
 donisque cumulati postremo accepta  
 summi Pontificis benedictione die tertia  
 Junii Roma discesserunt, ac comitan-  
 tibus eos Papæ Ministris per Urbina-  
 tis Ducatum, & Marchiam Anconi-  
 tanam Venetias usque deducebantur,  
 inde vero Ferrariam, Mantuam, & Me-  
 diolanum pergebant, ut universæ Ita-  
 liæ populi tam solemnis, atque a remo-  
 tissimis regionibus decretæ legationis  
 testes essent: Ceterum hi Oratores in  
 omnibus urbibus summa magnificentia  
 recipiebantur: tandem vero Genuam  
 delati consensa navi in Hispaniam, sti-  
 pante eos decem triremium classe con-  
 tenderunt, atque in patriam suam re-  
 versi sunt.

§. XXVIII.  
*Italia ab exilibus, & latronibus pi-  
 nitus per Papam expurgata.*

Bullar.  
 Const. I.  
 Sixti V.  
 p. 526.

Die vigesima quarta Maji summus  
 Pontifex per universum Orbem An-  
 ni sacri solemnitatem promulgabat, ut  
 ipse ad sustinendum impositum sibi onus  
 a Deo necessarias vires obtinere posset,  
 cum suarum partium esse noſſet, ut  
 morum correctioni insudaret, & corru-  
 ptelis, malisque per nimiam Prædeceſ-  
 foris sui clementiam introductis reme-  
 dium

dium opponeret: Verum ad restauran- Sæcul. XVI.  
dum ordinem , ac disciplinam via pe- A.C. 1583.  
nitus opposita utebatur, quippe die pri-  
ma Julii severissimum edictum adversus  
exules, sicarios , fures, eorumque re-  
ceptores condebat, cum vero tam  
prudentis legis vim ob neglectam illius  
executionem prorsus inutilem reddi  
pertimesceret , illius curam quinque  
præcipuis Cardinalibus , Columnæ ,  
Spinolæ, Gesualdo, Cananio, & Sal-  
viato commendabat, eosque per varias  
ditionis ecclesiasticae Provincias distri-  
buebat: porro eorum sollicitudine hoc  
edictum omni severitate effectui daba-  
tur, præcipue Bononiæ, ubi Pepuli-  
ensis Comes , qui plures proscriptos suo  
favore dignabatur, eisque asylum sup-  
peditabat, suum scelus capit is poena  
eluere cogebatur, quippe Bononiæ ca-  
pite plexus obiit, frustra pro eo depre-  
cantibus illius Amicis.

### §. XXIX.

*Sixtus V. homagii pensum pro Nea-  
politano regno recipiens.*

**H**oc publicæ securitatis studium sum- Leti. l. 6.  
mus Pontifex severius continua-  
bat, cum vero quamdam ambitionem  
præferre videretur, Philippus II. su-  
spicari cœperat, perinde ac si Neapolis  
regnum rursus ecclesiasticis ditionibus

U 2                  aggre-